



Quum autem consummasset omnia uerba sua audiente populo, intrauit Caper-
naum. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, agebat ani-
mam, qui illi erat charus. Quum audisset autem de Iesu, misit ad eum senio-
res Iudeorum, rogans eum ut ueniret, & seruaret seruum suum. At illi qui
uenissent ad Iesum, rogabant eum studiosè, dicentes: Dignus est, ut hoc illi
præstes: diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem
ibat cum illis. Et quum iam non longe abesset à domo, misit ad eum Centurio amicos,
dicens ei: Domine, noli uexari: non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres. Qua-
propter nec me ipsum sum dignum arbitratus, ut uenirem ad te: sed dic uerbo, & sana-
bitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me mili-
tes, & dico huic, uade, ac uadit: & alteri, ueni, ac uenit: & seruo meo, fac hoc, ac facit. Au-
ditis enim his Iesus, miratus est eum, & conuersus, sequenti se turbæ dixit: Dico uobis,
ne in Israël quidem tantam fidem inueni. Et reuersi, qui missi fuerant, in domum, inue-
nerunt seruum qui languerat, sanum.] Idem est hic cum illo quem Matthæus posuit,
etiam si non dicat Matthæus quod miserit Iudeos rogantes & orantes illum. Verissima
le enim est, quod primum miserit Iudeos: deinde & ipse uenerit. Quod igitur prætermi-
sit Matthæus, hoc dicit Lucas. Forassis & Iudei inuidia tabescētes, nō permiserūt Cen-
turionē ad pedes Iesu uenire: fuisset enim hoc in gloriam Iesu. Denique ipse urgente ne-
cessitate accessit ad Iesum. Sed forte iterū quis interrogarit: Quomodo igitur Matthæ-
us dicit, quod ille propria uoce obsecrarit, ut ueniret Iesus, Lucas uero hoc loco dicit,
quod amici obsecrarint eum ne ueniat? Dicēdū itaque, quod nihil noui, etiā alios mittere,
& per se uenire, & dicere, ac deprecari ne ueniat. Digna enim fides uiri est quam admi-
ramur, indignum se uocantis aduentu Iesu. Idcirco & dominus dicit, quod neque in Israël
licio populo tantam fidem inuenierit. Gentilis enim erat Centurio, forsitan ex Rhoma-
norum cohortibus. Centurio quoque est omnis mens, quæ præest multis in malitiā, cui
per uitam multa sunt negocia: & habet seruum ægrotantem, partem animæ rationis ex-
pertem, iram dico & concupiscentiam. Ordinata enim sunt hæc, ut seruiant: & accersit,
mittitque ad illū intercessores Iudeos, hoc est cogitationes confessionis & orationis. Iu-
das enim interpretatur cōfessio. Nunquid enim confessionis & humilitatis uerba sunt?
Nō sum dignus, ut ingrediāris sub tectum meum &c. Itaque quum hæc crediderit in Ie-
sum, statim recipit seruum suum sanum, iram dico & concupiscentiam.

Et factum est deinceps ibat in ciuitatem, quæ uocatur Nain: & ibant cum eo discipu-
li eius multi, turbæque copiosa. Quum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defun-
ctus efferebatur, filius unicus matri suæ, & hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum
illa. Quam cum uidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et
accessit, tetigitque loculum. Porro qui portabant, substiterunt. Et ait: Adolescens, tibi di-
co, surge. Et resedit qui erat mortuus, & coepit loqui: & dedit illum matri suæ. Accepit
autem omnes timor, & glorificabant deum, dicentes: Propheta magnus surrexit inter
nos, & deus uisitauit plebem suā.] Postquam Centurionis seruum, etiam absens, sa-
nauit, aliud rarius facit miraculū, ut ne quis dicat: Et quid noui in hoc seruo cōtigisse? For-
tassis alioquin nō fuisset mortuus: propterea mortuum illum qui efferebatur suscitauit. Nō
solum autem uerbo facit miraculum, sed & loculum tangit, ut discamus quod corpus
eius corpus uiuificum sit. Quoniam enim caro eius facta est propria uerbi omnia uiuifica-
ntis, propterea uiuifica est & ipsa, tollitque mortem & corruptionem. Porro resedit
mortuus & coepit loqui, ut ne apparenter tantum quibusdam suscitatus uideatur. Nam
ueræ resurrectionis signum fuit, residere & loqui. Inanimatum enim corpus neque resis-
dere, neque loqui potest. Viduam autem, intelligas & animam, quæ uirum suum, uerbum
dei, qui bonum seminat semen misit: filius uero eius, mens est mortua, & effertur extra
supernam ciuitatem Hierusalem: regio enim uiuentium illa est. Proinde dominus mise-
ricordiam motus tangit loculum: locus mentis est corpus. Sepulchrum enim & loculus
corpus est: unde & Græci corpus σῶμα uocant, quasi σῶμα, hoc est sepulchrum. Tactō

autem corpore, dominus suscitāt mētem, iuuenem & fortem illam faciens, quæ resideret & ut suscitata fuerit à sepulchro peccati, incipit loqui, hoc est docere alios. Quandiu enim in peccato detinetur, non audet docere & loqui, quis enim ei crederet?

Et exijt hic rumor in uniuersam Iudæam de eo, & omnem finitimam regionem. Et nunciauerunt Ioanni discipuli ipsius de his omnibus. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, misitq; ad Iesum, dicens: Tu es qui uenturus es, an aliū expectamus? Quū autem uenissent ad eum uiri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es ille qui uenturus erat, an alium expectamus? In eadem autem hora multos curauit à morbis ac plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit uisum. Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ uidistis & audistis, quod cæci uideāt, claudi ambulent, leprosi mudentur, surdi audiant, mortui resurgant, pauperibus annuncietur Euangelium: & beatus est quicumq; non fuerit offensus per me. Et quum discessissent nuncij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum ut uideretis? harundinem quæ uento agitat? Sed quid existis uisuri? hominem mollibus uestimentis indutū? Ecce qui uestitu splendido uestiuntur, & in delicijs agūt, in aulis regum sunt. Sed quid existis ad uidēdum? prophetam? Vtiq; dico uobis, & plus quàm prophetam. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuā, qui præparabit uiam tuā ante te. Dico enim uobis: Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est: attamen qui minor est in regno dei, maior est illo. Et omnis populus audiens & publicani iustificauerunt deum, baptizati baptismō Ioannis: pharisæi autem, & legisperiti cōsiliū dei spreuerunt aduersus semetipsos, nō baptizati ab eo. Increbuit per totā Iudæam miraculum quod in Nain factum: auditū etiā est à discipulis Ioannis, quos grauiabant laudes Christi, utpote imperfectos. Itaq; Ioannes uolens eis demonstrare magnitudinem Christi, & quantum se præcelleret, rem hanc comminiscitur: & nihil quidē dicit discipulis de Christo definiens, sed simulans sese ignorātem, mittit illos, ut uisus miraculis, cōfirmētur in fide ex operibus ipsis, dominū esse Christū, & seruū Ioannē. Ne igit credas, quod Ioannes uere ignorans miserit ad Christū discipulos interrogantes. Quomodo enim, quū & ante natiuitatem in utero matris exultarit, agnoscens illum, & in Iordane testificatus sit eum esse filium dei? Mittit igitur discipulos interrogans, dicens eis ut interrogent Iesum: Tū ne es ille uēturus? Vides quomodo discipulos inducat, ut credant quod deus sit Iesus: Prophetæ enim missi dicuntur, & ipse Ioannes, sicut testat Euangelista, Fuit homo missus à deo: dominus uero uenturus. In potestate enim uenit, non in uitis. Tu igitur, dicit, es, qui expectabatur ut ueniret in mundum. Quid autem uenturum in infernum intelligunt: ut quod dicitur hunc sensum habeat, Tu es qui uenturus ad infernum? Quid igitur dominus? sciens scopum & mētem Ioannis, quare misisset illos, ut uiderent quæ faceret, & ex illis cōfirmarentur, ea propter ad se missis dicit: Renunciate quæ uidetis. Deinde enumerat miraculorū opera, quæ & per prophetas annunciata fuerant. Nam quod cæci uident, & claudi ambulant, & pauperibus annunciat Euangelium, in Esaia scriptum est. Deinde dicit: Et beatus qui non offensus fuerit in me, quasi ita dicens eis: Et uos beati, si non fueritis offensi in me. Quoniam autē uerisimile erat multos fuisse offensos in Ioanne, qui tātum testimonium perhibuisset de Christo, & nunc misisset illos ad rogandum, num esset uenturus ille: propterea dicit turbis Christus, Ne quid tale suspicemini de Ioanne: neq; enim harundo est, quæ nunc huc nunc illuc moueatur: & nunc quidem testificetur de me, nunc autem ignoret me. Nam si fuisset talis, cuius gratia exiuissetis in desertum, ut uideretis eum? Sed neq; animum suum delicijs corrumpit: uestis em̄ eius declarat delicijs eum superiorē esse. Etenim si arisisset ei deliciae, in palatijs uiuisset. Sed prophetam illū dicitis. Vtiq; dico uobis, maior est prophetis. Nam alij de Christo tantum prædixerunt: hic etiā & uidit, & monstrauit, dicens: Ecce agnus ille dei. Et alij quidē prophetæ prophetizarunt, postquā egressi ex uteris matrum, hic autē antequā exiret de utero, agnouit dominū & exultauit. Post hæc assert & prophetam testem, dicit enim: Hic est de quo scriptum est, Ecce mitto angelum meum. Angelus enim Ioannes fuit, fortassis quod angelicam uitam, & non carnalem,

nalem, sed spiritualemente egerit, fortassis etiam quod aduentum saluatoris nuntiaret. Amen dico uobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne. Præfert alijs omnibus præcursores. Dein quasi quis dixisset, an & te maior ille est? subdit, Ego autem qui minor illo sum, maior sum in regno cælorum. Habeor enim, ut qui minor illo sim propter ætatē, & propter genus, & propter gloriam: sed in regno cælorum maior illo sum, hoc est in omnibus diuinis & spiritualibus. Proinde omnis populus qui audierat Ioannem, iustificauit deum, hoc est honorauerunt deū, eo quod prophetam illum ipsi suscepissent: pharisæi autem non honorauerunt deum, non suscepto Ioanne. Quidam autem, inter filios mulierum, sic intellexerunt, quod bene dixerit mulierum: ita enim excepit seipsum quandoquidē de uirgine fuerit natus, non de muliere uirum experta. Et quod dicit, minor in regno cælorum, aliter intellexerunt. Minor in uita Christiana, maior est iusto iuxta legem: ut Ioannes iuxta iustitiam legis erat irreprehensibilis: si quis autem inueniatur baptizatus quidem, nondum autem malum quiddam uel bonum operatus fuerit, hic minimus est in regno cælorum, hoc est in prædicatione Christi, attamen maior est non baptizato, quāuis ille in lege iustus fuerit. Vel aliter: Sis licet minime carnalis, & ferme Ioannes alter, attamen in carne (ait) adhuc es: & propterea minimus in resurrectione, quā regnum cælorum esse dicit, maior te est. Tunc enim ab incorruptione omni liberi, non ultra iuxta carnem ambulabimus. Et qui tunc paruus, maior est eo qui nunc qui dem est iustus, sed carnem adhuc gestat.

Ait autem dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & acclamantibus inter se, ac dicentibus: Cantauimus uobis tibijs, & non saltastis: cecinimus uobis lugubria, & non plorastis. Venit enim Ioannes Baptista, neque edens panem, neque bibens uinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibens, & dicitis: Ecce homo edax, & uinipotor, amicus publicanorum ac peccatorum. Et iustificata est sapientia à filiis suis omnibus.] Erat quoddam ludi genus apud Iudæos. In partes enim duas pueri multi diuidebantur, & quasi uitam deridebant: alij ex una parte lamentabantur, alij ex altera tibij canebant, & neque lugentes curabant hi qui ex altera parte, neque tibicines eos qui lugebant curabant. Taxat igitur dominus pharisæos, qui neque lugebant cum Ioanne lugubrem uitam agente, & poenitentiam introducente: neque eum imitabatur, neque obtemperabant Iesu, uitam præ se ferenti ciuiliorem: sed ambos repellebant, nec lugentes cum Ioanne lugente, neque concinentes cum Iesu tibij canente, hoc est remissiore. Et iustificata est sapientia, hoc est honorata: non à pharisæis, sed à filiis suis, id est his qui ceperunt Iesum & Ioannem.

Rogabat autem illum quidam ex pharisæis, ut caperet cibum cum ipso. Et ingressus domum pharisæi, accubuit. Et ecce mulier quæ fuerat in ciuitate peccatrix, ut cognouit quod Iesus accubisset in domo pharisæi, attulit alabastrum unguenti, stansque ad pedes eius à tergo flens, lachrymis coepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui exergebat: & deosculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem pharisæus, qui uocauerat, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier, quæ tangit ipsum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo quiddam quod tibi dicam. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta: quum autem illi non essent soluendo, condonauit utrisque: horum igitur dic uter eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Existimo, quod is cui plus condonauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti.] Videtur hic pharisæus non rectam habuisse sententiam, sed dolosus fuisse. Nam & hypocritæ sermo erat, quum diceret: Si esset hic propheta. Et ita non credidit, quia hæc quoquebatur. Dominus tamē, quamuis sciret eum non esse candidum, ingressus est ad eum, & comedit cum eo: docens per hoc nos omnino, quod nos simplices exhibeamus erga eos qui dolose nobiscum agunt. Quærun autem multi, quot fuerint mulieres quæ unxerunt dominum unguento. Et alij quidem dicunt, quod duæ fuerint: una scilicet apud Ioannē quæ fuit soror Lazari, & alia apud Matthæum & Marcum, & nunc apud Lucam. Ego

autem credo his qui dicunt tres esse: unam quidem apud Ioannem ante sex dies paschæ, quæ & soror fuit Lazari: aliam apud Matthæum & Marcum, ante duos dies paschæ, & tertiam illam de qua nunc Lucas, quæ in media Euangelij prædicatione dominum unxit. Neque mirum est, quod illa ante passionem hoc fecerit: & deinde illæ uel ad huius imitationem, siue alia de causa circiter passionem idem fecerint. Quauis autem & is qui apud Matthæum commemoratur, & cuius nunc fit mentio, eodem Simonis nomine uocetur, haud mirum fuerit. Sæpe enim multi idem nomen sortiuntur. At ille fuit leprosus, sed hic non. Et ille quidem sanatus à lepra in gratiarum actionem uocauit dominum, hic autem neque leprosus, neque gratias referens: & ille quidem nihil dixit, hic autem obmurmurauit, & condemnauit in hoc tam Iesum quam mulierem: hanc ut peccatricem, illum ut misericordem. O arrogantiam. Vere phariseus homo. Sed dominus rogans illum in parabolis, in medium producit debitores duos, latenterque & illum debitorem esse insinuat. Et parum quidem debere uidebatur, sed non parum debebat. Itaque neque tu potes dare etiam minus debitum: non enim habes confessionem superbia inflatus, neque mulier. Vtrisque igitur remittitur. Et uter plus diligit? omnino cui multa dimissa sunt, & quam hæc dixisset, obmutescere fecit arrogantem.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit deosculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittantur peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittant tibi peccata. Et ceperunt qui simul accumbabant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata remittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua saluam te fecit, uade in pace. Ostendit dominus Simonem & arrogantem & insipientem fuisse. Arrogantem quidem ac contumeliosum: quandoquidem etiam ipse homo existens, hominem propter peccata condemnabat. Insipientem uero, quandoquidem non cogitabat quanta fidei & charitatis signa illa præ se ferret. Oportebat illam suscipere, non repellere. Idcirco reprehendit eum dominus, utpote condemnantem eam quæ tanta fecit, quanta nec ipse, immo longe inferiora fecit Simon, quasi diceret: Tu quidem neque aquam ad abluendum puluerem pedum proposuisti, illa autem lachrymis rigauit. Tu faciem meam non es deosculatus, illa & pedes meos deosculata est. Tu item neque oleum, illa uero unguentum effudit. Vnde quia dixisti quod non sim propheta, ex eo quod non cognouerim hanc esse peccatricem: ecce reprehendo ea quæ in corde tuo, ut cognoscas quod sicut occulta tua scio, multo magis illa sciã quæ & multi alij sciunt. Remittantur igitur peccata illi, quia dilexit multum, hoc est magnam præ se tulit fidem. Denique & qui simul accubuerant, etiam ipsi obmurmurant, non cogitantes quod iam ad Simonem dixerat, & uerisimiliter dictum & ad ipsos. Dominus uero comprimens murmur illorum, & ostendere uolens, quod sua quæque fides saluum faciat, non dixit, Vade mulier, ego te seruo: ut ne maiori inuidia capiantur: sed, fides tua. Hoc dixit, ut dicebam, tum quod inuidiam illorum minueret, tum ut & illos ad credendum induceret discentes, salutem ex fide esse. Cæterum quod inquit, Vade in pace: hoc est in iustitiam, pax enim iustitia est, sicut peccatum inimicitia cum deo. Vide autem, quod postquam remisit ei peccata, non contentus est remisisse peccata, nisi adieciisset & operationem boni. Vade in pace, id est fac ea quæ te deo conciliant.

CAPVT VIII.



Factum est deinceps, & ipse iter faciebat per singulas ciuitates & castella, prædicans & annūcians regnum dei: & duodecim cum illo, simulque mulieres aliquæ, quæ erant sanatae à spiritibus malis, & infirmitatibus: Maria quæ uocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant: & Ioanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & aliae multæ quæ ministrabant eis.